

DISPUTATIO MEDICA

59

DE HYDROPE
ASCITE,

Quam

D. O. M. A.

SUB PRAESIDIO

Clarissimi & Excellentissimi viri,

D. FRIDERICI WAGNERI
MEDICINAE DOCT.

In Illustri IVLIA,

publicè examinandam proponit

NICOLAUS COLCHIVS,

Stendalio-Marchicus.

Fiet Disputatio horis consuetis in noui collegij acroa-
terio maiori die Sept. 25.



HELMAESTADI,

TYPIS IACOBI LVCII,

ANNO MDCCXIII.



VIRIS

Amplissimis, clarissimis iuxta ac consultissimis

**DN. COSS. CAMERARIIS
ET SENATORIBVS INCLVTÆ
REIPVB. STENDALIENSIS,**

NEC NON

Clarissimo & consultissimo viro,

**Dn. M. HENRICO SCHARDIO ICTO, IV-
dicij Trimestris Veteris MARCHIÆ Adfessori
dignissimo.**

Etiã

Prestantissimis & spectatissimis viris,

**Dn. ADAMO KHRAN, IVDICII TRIME-
stris Veteris MARCHIÆ causarum patrono.**

**Dn. PETRO RIBIO, VETERIS MARCHIÆ
& vrbium Prignizensium Quæstori fide-
lissimo.**

**Dn. VALENTINO SCHULTZEN IVN. I. V.
Cand. causarum patrono Primislauienti in
Marchia.**

*Dn. Mæcenatibus & fauitoribus suis magnis promo-
toribus beneuolis, Adfinibus & cognatis plu-
rimùm honorandis,*

Hanc Disputationem Medicam in debitæ ob-
seruantia & gratitudinis testimonium

D. D.

NICOLAVS COLCHVS.



DE HYDROPE ASCITE
DISPUTATIO.

Thesis I.

HÆsam corporis particulam, symptomata vel vtrumq; : causam item morbi putatam, rei q; cuiusdam externæ similitudinem, morbis ut plurimum nomina dedisse, Gal. 2. Method. c. 2. luculentis. testatur.

2. Dicitur itaq; hic adfectus, quem iam tractare suscepimus, Hydrops Ascites, partim à causâ putatâ, *διὰ τὸ ὑδατ*, id est aquâ, partim à particulâ læsâ, *διὰ τὸ ἀσκή*, id est, vtre, quod venter inferior, instar vtris cuiusdam aqua impleatur, omnemq; in partem tollatur & intumescat: Barbari Alschitin vocant, Alchitin, Alkesi: Germani die *Wassersucht*.

3. Vt autem naturam siue essentiam, huius adfectus rectius perspiciamus, tria illa, quæ ad cuiusq; accidentis legitimam definitionem requiruntur; Genus videl. proximum, subiectum primum, & causa proxima siue continens, nobis considerata veniunt.

4. Genus proximum pro diuersâ consideratione, vel sub vitio conformationis, id est magnitudine partis p. n. auctâ: vel sub actione partium naturalium læsâ, à Galeno pluribus in locis constituitur. Nos Analyticam Methodum sequuti, sub magnitudine auctâ, id est p. n. aliquo tumore, collocare volumus.

5. Subiectum siue partem adfectam facimus capacitatem inter intestina, peritonæum & Epiploon, Diaphragma, scrotiq; membranas.

6. Causam proximam siue continentem, esse serum si-

ue aquam, cum sensibus subijciatur, longiori demonstratione opus non habet.

7. Transmittitur autem hoc serum in Abdominis capacitatem, ab omnibus ventris inferioris partibus, serum continentibus, puta hepate, liene, renibus, vreteribus, vasibus hinc inde perreptantibus, vesica &c. idq; vel sensibiliter, per continui solutionem, vel insensibiliter, per Anastomosis & diapedesis, prout in singulis paulo post declarabitur.

8. Transmittit itaq; hepar, vel quod nimiam copiam huius aquæ generet, eandemq; corrumpat: vel quod propter malam conformationem, aut continui solutionem, eandem egredi patiatur.

9. Serum quam par erat, maiori copia gignitur, aut quod viscus habitualement frigidam humidamq; intemperiem contraxerit: aut quod cibus potusq; frigidior humidiorq; maliq; insuper succi sæpius larga manu offerantur.

10. Serum verò in substantia hepatis corrumpi exinde colligitur, quod summa naturæ prouidentia, antequam cum sanguine, per vniuersam corporis regionem feratur, eandemq; inficiat, ad Abdominis capacitatem tanquam ignobiliorem, excrementisq; recipiendis constitutam partem euacuetur. Adde quod renes, quod minus gratum existat, non trahant. Nec nisi corruptum foret, ad Abdominis vacua effunderetur, sed potius dysenteriam hepaticam, malum è corporis habitum efficeret.

11. Contrahit autem hepar, habitualement hanc frigidam humidamq; intemperiem, vel propter suffocationem caloris natiui, eiusdemq; extinctionem, aut dissipationem.

12. Suffocatur autem calor natiuus, à nimia sanguinis chyliq; copia, perinde ac si multa, viridia præsertim ligna confertim in ignem iniiciantur. Sic Anginosos, Asthmatrosq;, indies mori videmus

13. Dissipatur verò calor natiuus, in ardentibus colliquantibusq; febribus, ira, gaudio, dolore, insignibus per aluum, vomitum, vterum, hæmorrhoides, venerem, sudores, panis ex rupta vomica, aquæq; intra cutim excretionibus.

14. Exstinguitur verò calor naturalis, vel ex proprio peculiariq; eius adfectu: vel ex consensu aliarum partium.

15. Consentit verò hepar, vel toti corpori, vel vicinis partibus: vt lieni vtero, ventriculo, vesicæ, diaphragmati, pulmonibus &c.

16. Ex proprio peculiariq; adfectu laborat hepar, vel quod à primo ortu minus debiliusq; factum sit: vel quod debilitatem hanc à morbo aliquo, aut errore præcedente contraxerit.

17. Morbi præcedentes varij generis esse possunt: intemperies cum vel sine materia, obstructiones, inflammationes, schirri, tophi, œdemata, vlcera, vulnera Erysipelata &c.

18. Error autem committitur in rebus potissimum sex non naturalibus. Si videlicet aër frigidior humidior, crassior, nebulosior, habitatio circa mœnia & paludes fuerit. Si cibi crassi, frigidi, humidi maliq; succi ingerantur: si multa; insuper ingurgitatio, largiorq; aquæ potus, post labores, calores, exercitationesq; vacuo præsertim ventriculo, subsequatur.

19. Sic otium quiesq; immoderata, corpus mollius frigidiusq; efficiunt: somnus item diurnus & diuturnus, retentio aliqua solitæ euacuationis, vt sanguinis per vterum, hæmorrhoidas, nares &c. corpus frigidius efficere consueuere.

20. Eodem modo, animi pathemata, præsertim verò timor & tristitia, maximè verò si diu perseuerent, calori

natiuo maximam vim inferre nata sunt.

21. Diximus quomodo per habitualement frigidam humidamq; intemperiem, hepar nimiam copiam feri deprauati gignat: idq; in Abdominis vacua transmittat: sequitur vt quomodo ex parenchymatis continui solutione id fiat videamus.

22. Soluta autem est hepatis vt & lienis vnitas, in eorundem fissuris, hydatibus, schirro, vlcere, inflammatione, vulneribus &c.

23. Findi autem parenchymata faciunt, eorundem nimia siccitas & ariditas.

24. Contrahitur autem hæc siccitas & ariditas, ex frequenti aromatum & medicamentorum calidissimorum vsu, viniq; generosi & meri, tempore præsertim æstiuo, ingurgitatione: ex morbi calidi item, acuti vel etiam chronici, vt februm ardentium, Icteri, similibusq;, ætate præsertim iuuenili, vel etiam senili prægressa.

25. Hydatides verò fiunt, à corrupto in parenchymate viscerum sero, atq; ad earundem membranas effuso: quibus ruptis, serum in abdominis cavitatem deferri necessum est.

26. Schirrus verò, aliufq; p. n. viscerum tumor, propter duritiem ea findi, aut si in pus indeq; in vlcus abierint, sero ad Abdominis concaua aditum faciunt. Idem de tumore fungoso, vlceribus, vulneribus dictum volumus, nisi mors interuenerit.

27. Diximus quomodo ex adfectu hepatis & lienis Ascites fieri queat: restat vt quomodo aliarum partium adfectu fieri queat dicamus.

28. Renes itaq; similiter vt dicta viscera, omnis generis morbos, quibus ad Abdomen transitus fit, pati possunt.

29. Per frigidam enim eorundem intemperiem, serum
in iusta

in iusta quantitate non trahunt, sed in vicinis vasis putrescere, vel rupturam efficere patiuntur. Per siccam intemperiem, diutius quam par est vel retinent, & sic vel nimia copia rupturam, vel ariditate fissuram efficiunt. Per calidam intemperiem, serum biliosius acriusq; reddunt: quo non tantum habilius ad penetrandum hydatidasq; efficiendum redditur, sed etiam ipsam parenchymatis substantiam corrosioni subijcit.

30. Eodem modo, morbis quoq; conformationis, vt inflammatione, tuberculo, calculo, grumis sanguinis, schirro subsidentia, coalescentia & similibus afficiuntur, quibus exitus sero ad vesicam prohibetur, ad Abdomen verò vel per sensilem vel per insensilem euacuationem aperitur.

31. Sic per vulnera vlcera, tumorem fungosum, raram substantiæ constitutionem & similibus, idem fieri, experientia demonstrat.

32. Venæ verò circa intestina, peritonæum, & Epiploon, vterque item & vesica: serum propter nimiam nitrositatem & acrimoniam, vulnera, vlcera, rupturas, fissuras &c. ad Abdominis cauitatem fluere permittunt.

33. His ita constitutis definimus Hydropem Ascitem, tumorem ex aqua, à partibus naturalibus, serum continentibus, per Anastomofin, Diæresin, Diapedesin ad Abdominis cauitatem transmissa.

34. Signa Diagnostica Ascitis sunt tumor, si æger cubat latus, & per vniuersam regionem Abdominis extensus: sin verò stet tumor propter aq. pondus magis ad inferiora & scrotum verget.

35. Adest præterea fluctuatio, vndæq; quasi sonitus, & ad quamcunq; motus partem prolapsus: spiritus difficilius trahitur, propter Diaphragmatis compressionem: vrina
minori

minori copia, & interdum nimium tineta emittitur.

36. Sitis insuper intollerabilis succrescit, præsertim in augmento & statu, quando serum vel bilefcit, vel nitrositatem aliquam acquirit.

37. Signa Prognostica describit Hippoc. in prognosticis. Hydropes inquit, qui ex acutis morbis fiunt, mali sunt, non enim à febre liberant, & valde dolorosi & lethales.

38. Item lib. de Coacis prænotionibus. Quibus ex partibus inanibus & lumbis hydropum initia fiunt, pedes intumescunt, & alui fluor diutinus fit, nec soluens dolorem qui ex inani parte efficitur, ac lumbis, nec molliens ventrem.

39. Hydropicis tussis superueniens malum *6. Aph. 35. it. 7. Aph. 47.*

40. Hydropicor. aq. pauca & tenuis, malum *6. coac. prænot.*

41. Malum hydropisin medijs leuatum, denuò repululascere.

42. Bonum, morbum medijs cedere, non reuerti, copiosè mingi, sitim tollerari ægrum faciliter respirare, membraq; extenuata nutrimentum capeffere, probeq; aluum excrementa reddere.

43. Aqua intra cutim laboranti, si aqua quæ in venis est, ad ventrem defluerit mali solutio fit *6. Aph. 14.*

44. Aqua intra cutim laborantibus, vlcera quæ in corpore fiunt difficulter sanantur *6. Aph. 8.*

45. Hydropem viscerum corruptionem, contusionem, fissuras, schirrum, vlcera, vulnera sequi, lethale.

46. Diuites difficiliter pauperibus curantur, quod illi, sitim, famem ægrè ferant, & in alijs Medico minus sunt obsequentes.

47. Nunc quibus modis curatio institui debeat, videbimus. Curarè itaq; secundum Gal. est præsentis iam adfectus

fectus t
impedi
nere aut
48.
tibus, cu
micem m
49.
do omne
inceps co
50.
serum cor
gnificat.
51. Re
etam, Ph
52. Di
ficatur. Si
vergens: f
corrigatu
nequeat, f
marino, M
gallia & A
53. Ci
oua sorbil
syluestres
tus, & cum
Præferunt
54. D
cum cibus
arrideat, c
ferendus.
55. Pe
phoron,

fectus tollere, siue id fiat amouendis ijs, quæ naturæ opus impediunt, siue per medicamenta quid ipsi moliamur, cauere autem, ne accidant prospicere.

48. Nec cui mirum videri debet, si interdum in sequentibus, curatio & prouisio confundantur, cum medendo inuicem misceantur, *Gal. 12. Meth. c. 1.*

49. Cum verò ablata causa tollatur morbus, quomodo omnes iam dictæ tumoris causæ remoueri debeant, deinceps considerabimus.

50. Cum itaq; tumoris causa proxima & continens, sit serum corruptum, sui remotionem, cum totum p. n. sit significat.

51. Remouetur autem per tria Medicorum organa, Diætam, Pharmaciã, & Cheirurgiam.

52. Diætã commodo vsu sex rerum non naturalium perficitur. Sit itaq; aër ad caliditatem, siccitatem tenuitatem vergens: fugiat æger loca nubilosa, halituosa, tenebricosa: corrigatur, si pro diuersitate loci & temporis aliter haberi nequeat, suffitu aromatum, Afa dulci styrac. Myrrh. Rosemarino, Maioran. serpill. bacc. Laur. Iuniper. Trochisc. de gallia & Alypta Moschat. Carab. & similibus.

53. Cibus sit siccæ calidæq; constitutionis, offerantur oua sorbilia, perdices, columbæ, galli gallinacei, auiculæ syluestres, pisces saxatiles, capones, panis benè fermentatus, & cum sem. Anis. Fœnicul. Caru. & similibus coactus. Præferuntur carnes piscesq; assæ elixis.

54. Dandum tamen aliquid consuetudini & voluptati, cum cibus mali succi deteriorisq; conditionis, modo ægro arrideat, optimo & insuauis secundum Hippocratem sit præferendus.

55. Potus itidem se habeat. Bibat æger vinum oligophoron, substantia tenue, odoratam, minimè dulce, vel

B

bibat

bibat vinum cum aromatibus, vt Cinamomo, Caryophilis, Maioran. Absynth. Sp. Diaxyloal. Diagalang. Aromat. caryoph. &c. medicatum. Conceditur cereuilia Torgensis, Gardelebiensis, Goslariensis &c. vel per se, vel cum dictis aromatibus medicatum.

56. Leuis motus qualis per gestationem, nauigationem, deambulationem, frictionem, fieri solet, plurimum conducere suevit.

57. Somnus vigiliæq; mediocriter se habeant, cum illud humorum concoctioni, viriumq; refectioni: hoc verò ferosi humoris dissipationi valdè conferant.

58. Aluus singulis diebus rectè se habeat, & nisi sponte se exoneret, per suppositoria vel Clysteres, ad officium reducatur.

59. Fugiat æger quantum possibile, animi pathemata, præsertim verò timorem & tristitiam: ira tamen non admodum lædere poterit.

60. Per pharmacaverò, aqua vel per aluum, vel per vtereres & vesicam, vel per sudores, vel per insensibilem transpirationem euacuatur.

61. Per aluum serum euacuatur, per medicamenta, vel inferius vel superius adhibita.

62. Per superiora adhibentur, medicamenta hydragoga, qualia sunt Mezereon, Rob de sambuco, Rad. Esulæ, Ciclamini, brassica marina, Rad. Ireos, Mechoac. Agaricus, gutt. gummai, Elaterium, Sem. Cartham. Ricini, Serapinum, Sagapenum, Camelæa, Thymelæa, & similia.

63. Commendatur plurimum El. Diaphysalidon Mesuæi, quod fit ex fol. Mezerei macerati & præp. ol. Mezerei, Scammoma, Turbith, Agaric. Mirobalan. quinq; generibus, Mann. Cassia, Tamarindis, passulis, penidijs, Iride, Sem. Apij, Fœnicul. Absynthio Rhabarb. succ. volubilis, Intybi Apij Eupatorij, Absynth. ol. Sefamin. &c. Per

64. Beta,
Cartha
colocy
65. Anisi D
Rubi
Tartar.
ol. item
66. mendat
Rad. qu
par. me
aromat
sci fl. Co
dicti, Hy
niculi an
nilib. j. S
Conijcia
in vascul
pere que
vaseq; ac
finantur.
vel alter
67. I
curc. Dia
Conf. Zi
son, Dia
synth. de
68. I
tus ex de
cymi Hy

64. Per inferiora adhibentur, Clysteres ex Mercuriali, Beta, parietaria, rad. Ebuli, sem. Apij, Rutæ, Petroselini Cartham. cum s. q. El. Hier. picræ, Benedict. laxatiu. Diacolocynthid. & ol. Rutac. Anethin. Camomill. &c.

65. Per vretes verò & vesicam serum euacuant, Sem. Anisi Dauci, Fœniculi, Carui, Rad. Petroselini, graminis, Rubiæ tinctorum, Trochisc. Alkekengi, Sp. Lithontrip. Sp. Tartar. Vitriol. falis: Sal Absynthij, Fabarum, Gratiol. &c. ol. item Scorpionum perinæo pubiq; illitum.

66. Eraustus his in casibus ex Muralto vehementer commendat, sequens vinum medicatum, quod ita se habet. R. Rad. quinq; aperientium, Liquirit. ras. Cortic. rad. Cappar. medianor. fraxin. an. ʒj. Rad. Iridis recentis, Calam. aromatici an. ʒss. Capill. Veneris, Ceterach. fol. Tamarisci fl. Cordialium, an. M. j. Absynth. Pontic. Cardui Benedicti, Hyssopi, Prassij an. M. ss. Sem. Apij, Anisi Ameos, Fœniculi an. ʒis. fol. Senæ Alexandrin. S. S. ʒij. ligni Guaiacini lib. j. Sachar. albiss. lib. ij. vini albi generosi lib. ciuiles 40. Conijciantur supradiçta omnia, (vino excepto) prius incisa in vasculum vinarium eius capacitatis, vt commemorata capere queat. Demum vinum superfundatur feruefactum, vaseq; accuratissimè obturato, macerari per diem alterumq; sinantur. Hoc tempore elapso vtetur eo infirmus singulis vel alternis diebus, s. q.

67. Per insensilem transpirationem euacuant Sp. Diacurc. Dialacc. Conf. Liberantis, cornu ceru. vsti & præp. Conf. Zinzib. Anthos, Cortic. Citri Enyngior. Sp. Dianison, Diagalang. Diacimin. Trochisc. de Eupatorio, de Absynth. de Rhabarb. &c.

68. Idem faciunt medicamenta topica, qualia sunt fottus ex decoctione rad. & fol. Sambuc. Ebuli, sem. Anis. Ocyymi Hypericon. Petroselini Sassafras &c.

69. Ex iisdem & similibus, vt farina lupinorum, fœnu-
græc. Lolij, Absynthio, Hyssop. Origano, stercore bouis,
columbarum, sulphure viuo, bacc. Lauri, sale, rad. Ireos,
Cucumeris Asinin. &c. Emplastra & Cataplasmata, pro di-
uerfa medici intentione concinnantur.

70. Sic thermæ sulphur. Bituminos. Nitrosæ, plurimum
in hoc adfectu conferre creduntur.

71. In eundem vsum vnguenta quoq; Martiatum, Are-
gon, Agripp. adhibentur. Multis Vngu. Nicolai in vsu est,
quod recipit, Rad. Ari. Cucumer. Asinin. Bryoniæ, Pyre-
thr. Laureol. Pulicar. maior. & minor. fol. Cucumer. Asi-
nin. Rorismar. Maior. Serpill. Rut. Laur. Salu. Sabin. Calam-
minth. Mastichis Oliban. Euphorb. Zinzib. Petrol. Ol. Laur.
Adip. Vrf. Butyr. & cera.

72. Per sudores verò serum illud euacuatur Theriac.
Andromach. Mithridat. Sp. Liberantis, lapide Bezoar. tin-
ctor. corn. ceru. lign. guaiacin. Sassafras, Sarsaparill. Extr.
Absynth. &c.

73. Huc faciunt sepultura sub arena, aceruo frumenti,
calefactio ad furnum calefactum &c.

74. Tandem si his medijs malum non cefferit, ad Chei-
rurgiam deveniendum. Vtimur igitur scarificatione pe-
dum, & scroti: vesicatorijs item: Ad postremum verò, de-
plorato quasi morbo, ad paracenthesin, trium quatuorue
digitorum infra vmbilicum, ad latus faciendam nos con-
uertimus. Et aquam non omnem simul, ne cum aqua vires
animamq; euacuemus, emittimus: sed per interualla, tan-
tum aquæ, quantum vires ferre possunt, per repetitam ob-
turationem & reperationem exhaurimus. Qui enim suppu-
rati, aut aqua intra cutim correpti vruntur aut secantur: si
pus vel aqua confertim effluerit omninò moriuntur, 6. A-
phor. 22.

75. His

75. His medijs curatio abdominis institui quidem deberet, si morbus esset in facto esse saltem, non verò in fieri: Cum verò à causa aliqua p. n. foueatur, indiesq; noua materia ad Abdomen transmittatur, ea quoque conuenienti tempore tolli postulat.

76. Si itaq; intemperies frigida humidaq; hepatis & lienis cum malignitate aliqua coniuncta, transmissionis causae fuerint: intemperies alteranda, malignitas verò corrigenda veniunt.

77. Si itaq; substantia calidi natiui hepatis per febres ardentès & colliquantes, fuerit absumpta: curatio prout febres requirant, instituat.

78. Sin verò per iram, gaudium, dolorem, insignem per aluum, vomitum, vterum, hæmorrhoidas, sudores &c. calor naturalis fuerit dissipatus: animi pathematibus doloriq; resistendum, nimisq; euacuationibus, pro prudentia consilioq; medici occurrendum.

79. Sin verò viscerum naturalium calor à frigore extinguatur, obstructionisq; metus adfuerit, per contrariam qualitatem reuocandus, obstructio verò tollenda veniunt.

80. Vtimur itaq; condit. Zinziber. Eryngij Acori, Enul. Campan. Conf. Anthos, Camæpyth. Camædryos centaur. minor. Absynth. Syr. de Prass. de Artemis. succ. Chelidon. Syr. de Eupator. de Menth. Capill. Vener. Trochisc. de ligno Aloës de Anis. de Eupator. de Absynth. de Cappar. de Rhab. Th. Diatess. Sp. Dialacc. Diacalaminth. Diacimin. Diatrion piper. Aromat. rosat. Gabriel. Diacinam. Diacastor. Diacapp. Diacarc. &c.

81. Exterius verò exhibentur fomenta ex Absynth. fl. Camomel. Meliloti Sambuc. Roremarin. summ. Aneth. Eupator. Abrotam. Ciper. sem. Apij, Petroselin. Spic. Asaro sem. Anisi & similibus.

82. Fiunt quoq; inunctiones ex ol. de Capparib. Nardin. Mastichin. de Menta, Absynthij Irino, Sambucino, ol. Maces &c.

83. Huc referuntur quoq; Emplastr. Diaphœnic. calidum Mesuæi, de Meliloto, de bacc. Laur. cerotum stomachal. Gal. &c.

84. Epithemata quoq; & cataplasmata ex Caryophill. Cinamom. Iunc. odorato, Eupator. fl. Camomel. Rad. Asar. sem. Anis. Fœnic. Ameos, Sp. Diagalang. Diacianam. cum aq. Eupator. Cuscut. &c. plurimum commendantur.

85. Sin verò hepatis calor nativus vel ex consensu aliarum partium, vel morborum præcedentium extinguatur, partium intemperies corrigi, morbiq; viscerum, pro cuiusq; natura & consideratione, prout prudenti Medico visum fuerit, curari postulant.

86. Sin verò propter non debitam victus rationem, viscera naturalia refrigerentur, contrarijs, prout quælibet res non naturalis requirit corrigi debet.

87. Quando verò per Anatemosin, Diapedesin, Diæresin, serum in Abdominis cavitatem prolabitur: omnibus modis curandum, vt in Diæresi & Diapedesi, cibi crassiores frigidioresq; offerantur, & medicamentis partium unitas refarciatur. In Anatemosi verò, si propter plethoram fiat, statim vel in cruribus vel in brachio, propter reuulsionem vena secetur, tenuis victus ratio instituat, & partes solutæ iterum inuicem iungantur.





DN. NICOLAO COLCHIO
in Medicina disputanti.

D Vm mentis acer Æsculapij vigil
Sectaris artem, Pæonijs strenuo,
Labore vibrans arma noxij studes
Fugare morbi prouidus contagia.

En te perenni laude dux medentium
Effert Apollo, calicoq̄ nectare
Perfundit ora promptus & scientiæ
Pandit sacratæ diæ myrothecia
Hæc introito, prouidoq̄ lumine
Lustra parata sic videbis vndiq̄
Antidota, quæis mentem perenniter tuam
Firmes, venenatoq̄ morbi ab impetu
Inertiæq̄ spiculis præmunias.
Ergo palæstram strenuus Machaonis
Subito laude dignaq̄ artes edito
Specimina, scuto veritatis amouens
Obiecta, sic victor virente laureâ
Florebis, arte sic catus dum Delium
Tueris, hic tui vicissim nominis
Tuebitur perenneq̄, asseret decus
Monumenta sic dum pronus artis inclyta
Monumenta te laudis manebunt perpetis

Doctoꝝ

Doctus iunctus agmini medentium
Clara enitesces, clarus inter sidera.

amicitiæ testandæ causâ fecit

Thomas à Knesbeck.



A L I V D.



OLCHI noster amor, radians patriæ
urbis ocellæ (dedit,
Cui procerum vallis nomen habere
Non ego cum hoc dico de te, præfiscine dico,
Aut grandi dicto deprecor inuidiam.
Cur vel noster amor vel sis patriæ urbis ocellus,
Doctrinæ hoc specimen qui videt ille videt.

Georgius Noflerus.

FINIS.

